

Secunda & Tertia
Nullus inquitum Josta Colomba Volat
Nullus homo ultra misis solus Deus

Handwritten scribbles in the center of the page.

Handwritten text on the right side of the page.

Handwritten scribbles in the middle-left area.

Handwritten scribbles in the middle-right area.

Handwritten text at the bottom left.

Handwritten text at the bottom center.

Handwritten notes in the left margin, including the word "Cumbis" and other illegible cursive text.

Generoso Domino Stephano Borjos Francigeno

Generoso Domino Stephano
Borjos. Francigena ex illu-
stri Illustriissimo A. D. Princi-
pali ordinum academia mit-
tit
L. M. G. Author.

Handwritten numbers and scribbles at the bottom of the page, including the sequence 20 27 25 17 29 and other illegible markings.

ORATIO

FVNEBRIS,

Super obitum immaturum

Illustrissimi, Spectatiss. ac Magnifici

D. D. STEPHANI BETHLEN JUNIORIS de Iktar, Comitis Comitatum

Hunyad ac Maramaros, arcis Varadinæ Capitanei Supremi, Domini in Eczed, Deva, Hunyad & Thalsnad, &c. Defensoris religionis orthodoxæ acerrimi. Ecclesie Servatoris Christi nutritii benignissimi, qui ex hac calamitatum calle ac valle, post longos eosque acerbos corporis dolores, in ipso ætatis suæ flore, evocatus, in cœlestem beatarum animarū Societatem transmigravit. Anno Epochæ Christianæ 1632.

Habita in urbe Zilah,

In amplissimo Illustrissimorum utriusq; Regni procerum, aliorumve hominum cujusvis ordinis, & conditionis consensu, dum ex arce Eczed corpus exanime Illustriss. Comitis Albani Juliani, tristi, solenni tamen cum pompâ duceretur, & istic ad tempus deponeretur.

à Joanne Wafarheli Transylvano.



FRANEKERÆ,



Ex officinâ Ulderici Balck, Ord. Frisiæ corundemq; Academiæ Typographi. 1635.

*ambro
Prima probata Illustriss. per ipsa in Colitur*

M. R. M.

CUM DEO,
BASILII GHIDOFALVI Hunni-Transylvani,
PROSPHONESIS.

ECquid homo, fragili de pulvere, sumpte superbis?
 Pulvis es, & mox post funera pulvis eris.
 Pone supercilii fastus, ac Nosce Te Ipsum,
 Pulvis es, & mox post funere pulvis eris.
 Philtra venenosi spernas fallacia mundi,
 Pulvis es, & mox post funera pulvis eris.
 Pulvis es. An dubitas? docet hoc Scriptura, probatq;
 Sors Stephani Bethlen, Morsque futura tua.
 Eja agite o homines Mundi contemnite amorem,
 Exemplo vobis sit Comes ille suo.
 Nam Comes Illustris Mundi contempsit amorem,
 Et sic migravit promptus ad astra Poli.
 Dicite Dacicola quorum laus aethera tangit.
 Magnifici Comitris molliter ossa cubent.

EJUSDEM QUIDE

Ad D. IOHANNEM MARIOS-MASARHELYUM,
 demortuo Pio honorificentissime parentantem.

*A*mpulla spernae concrepat otia,
 Dum Bucco tornat vana negotia,
 Thrasonis instar, fastuoso
 Ore. Sonore simul guloso.
 Cum jaetuosae chromatæ Rhetoris
 Striatae fucis, intima peccatoris
 Ad sensa callosi penetrant?
 Sesquipedalia verba clathrant.
 Mador leporum, rancidus omnium.
 Bullit atro gutture, somnium
 Ut Rhetor edit nugivendus
 Siccine sermo fuit serenatus?
 Pars ergo nugae maxima Rhetorum.
 Crustare bardas, sub vice temporum.
 Haud erubescit purpurissis
 Non fecus atq; nitentis

*H*aud sic Johannes Vasarhelyius
 Artis, vigenti robore, Filius
 Metitur actus ipse verum.
 Rhetora se probat imò Verum.
 Luxit Baronem, Bethlemisum Ducem,
 Qui semper hostem, sanguineum, truce
 Fugavit: Heroem hunc benignum
 Luxit. Amoris est ecco signum.
 Debetur isti gloria candida
 Herois ut laus, factaq; splendida,
 Per hunc videbunt secula serena.
 Fama canet Comitemve vera.
 Amice dulcis, quem mihi vinculum
 Coeleste junxit, vivit seculum
 Per hoc beatus: nam futurum
 Ambo beati erimus per avum.

ORATIO



ORATIO
FUNEBRIS.



Siet utinam, Illustrissimi, Spect.
Magnifici, Generosi Domini.
Pracones verbi divini solertiss.
digniss. totaque concio adstant
lectissima, fulgentissima. Esset u-
tinam in meo capite, fons largos
lacrymarum scaturiens rivulos;
Ego, ego, (credite mihi) in hoc
acerbissimo totius Pannoniæ ac
Daciae luctu & planctu, vestra in-
signi humanitate fretus ac septus,
de exili & arescente orationis meæ vena, tristi ac tremula voce
neutiquam quaritarer: Lacrymis enim instar rivi defluentibus
& copiosissimis & amarissimis, recenter inflicti vulneris, & do-
loris concepti magnitudinem, si non omnimodè, ex parte tamen
me exprimere arbitrarer. Cum verò luctus iste tam gravis, ve-
hemens tamque crudus, acerbus, infandus, ut lacrymæ citius ce-
rebro deficiant, quam Illustriss. Comitæ vitâ functi de omnibus
optimè meriti memoria; tenui hac oratione, neque subtilis in-
genii sale condita, neque limato perpolita sermone, quantum
bonum hoc Illustrissimo Comite è vivis sublato amiserimus,
testatum facere & volui & debui.

Mortuus enim is est, quem vera in Servatorum Jesum fides
immortalem, virtus eximia inclytum reddiderat; Mortuus in-
quam is, imò mortali exutus corpore, ad cœlestes beatarum ani-
marum sedes transmigravit, qui omnes in hoc toto terrarum la-
tifundio mortales, si non superavit (absit invidia dicto) certè æ-
quavit. Quis enim illo erga S. S. ministerium benignior, Quis
erga pauperes munificentior, erga afflictos liberalior, erga op-
pressos facilior unquam extitit? Unde meritò lacrymis omnium
egenorum & afflictorum madent oculi: dignè civitatum moenia
& parietes planctibus circumsonant: dignissimè omnis sexus,

Oratio funebris

omnis ætas, gravi quasi vulnere fascia, dolet, squalet & mœrore miserè confecta passim ubique dispersa jacet.

Aspicite & condolete! Spectabilis & Magnificus D. Stephanus Bethlen, Dominus noster clementissimus, defuncti parens amantissimus, cujus animi magnitudo nulli non spectata, ex dilectissimi filii sui funere luctum haurit tam acerbum, ut dolorè frænare nequeat, quin tristissima facie, pullo vestitu, acerbo cordis mœrore, totus fleu penè madidus incedat. Aspicite & condolete! Omnes regni proceres, magnates, pro innata sua gravitate & constantia, charitate Comitæ defuncti abrepti, lacrymas retinere discipiunt quin eas ubertim effundunt. Aut saxus itaque certè & ferreus sit oportet, aut immanis & inhumanus, qui in tam acerbissimo luctu & planctu, gravitatis laudem stolidè ambiens, ex Apostoli præscripto, non commoveatur, non condoleat, non collacrumetur. Adeste itaque A. Illustriss. spectatiss. lugete, lugete inquam vestro cum primis, Defuncti, & universe Ungariæ nomine: Vestro, eum enim lanificæ Parçæ vobis abstulere, qui semper salutis & conservationis vestræ satagebat: Defuncti, non quod mortem obiverit, eo enim ut aliquando moreretur, conditione natus; Sed quod cum unum maximè expeteret, unum à Diis immortalibus votis omnibus optaret, dulcissimæ nempe ut aliquantulum adhuc inserviret patriæ, subita morte interceptus voti compos fieri non potuerit. Universæ tandem Ungariæ nomine, cui is decessit quo

Nec pietate fuit nec bello major & armis.

qui pro insigni sua in eam amore sæpenumerò acutissimis calamitatum, miseriarum, aliorumque id genus infortuniorum spiculis, ut ab iis suos liberare posset, objecit. Hæc ipse quoq, cum mecum paulò sagacius considero, ita succumbit dolori animus, ut ab instituto revocetur meus, ut quò me vertam, unde principium dicendi sumam, nesciam. In vos quidè tristes dum intueor, lagubrem quandam mœroris faciem mihi videre videor, & eam quidem, quâ solenni, sed tristi tamen hac pompâ illi celebratis exequias. Credo ego, si quis eorum, quæ à vobis geruntur, mortuus est sensus, certè nostrum demortuum, Comitem illustrissimum,

Oratio funebris.

mum, non parum benevolentia & pietate vestra in se letari, neque tamen si quis recte consideret, ullam re magis eum gaudere, quam laudum & virtutum suarum predicatione, existimandum est. Sed eheu! unum hoc tempore de futuro spero, quod non is illi laudator contingat, qui dicendo dignas illius virtutes sic assequatur, ut ad posteros prorecte celeberrimum illi nomen prorogatur videatur. Tantas enim tamque eximias ego nostri Comitum animadverto virtutes, ut nulli unquam tanta dicendi vis, tanta ingenii facultas fuerit, quem parem illis celebrandis existimem. Non itaque id mihi vitio vertatis, dum de illis loqui contendo, eas si assequi non potero, sed eum illum admirabiliorem habetote quo illius laudes, non mea solum, quae minor quam mediocris est, sed & omni eloquentia majores sunt. Neque vero ob id silebo, quin imo enitar, quantum a me fieri poterit, ut munere injuncto recte pro virili defungar, Comitumque illustriss. vita functi virtutibus & rebus gestis, si non de singulis (id enim longum fore sat scio) de quibusdam tamen, non Tulliano lepore, sed tremula hac voce, paucis differam. Rogo itaque officiosiss. & obsecro subjectiss. Vos A. quotquot adestis corporibus Illustriss. spectatiss. ut & animis aequis benignisve adsitis mihiq; ingenio infanti, aetate puero, si praestantiam virtutum tanti Herois adaequare dicendo non potero, quod vix ulli cogitando facile esse statuo, veniam benignè tribuatis, & me benevolentiae vestrae fulgore ad reliquam dictionem alacriorem reddatis.

Sed unde in hoc favente auditorio primum ordiar, quomodo monstrum, quam eximium Heroa, qui ob illustria sua facinora, merito ab inevitabili fatum lege solutus esse debebat, amiserimus. Solent omnes qui quempiam laudant, quodam quasi prescripto, patriam, genus, educationem illius laudare. Neque id cum faciunt, sine ratione faciunt, quemadmodum enim plantae cum bono est genere lectae, feraci solo depecte, frequenti cultura adjunctae sunt, tum demum uberes fructus proferunt: sic in hominibus aliisque animantibus, genus, educatiove multum referunt. Quod quamquam ita sit, aliam tamen ego quandam in hoc nostro demortuo, Comite Illustriss. rationem sequar; nihil hic dicam

Oratio funebris.

de clarissimis ejus natalibus, nihil de præcellentissimis avorum summi imperii & honoris stemmatibus, nihil de fundamentis ejus pueritiæ jactis, nihil de tyrocinio amplissime dignitatis: si- lebo ejus patriam ad æthera usque evehendam; quamquam enim non parvi ad gloriam referat, quâ quisq; in civitate natus sit; un- de præclarissimus Imperator Themistocles, si Seriphius natus fuisset, nunquam se nobilem futurum fuisse confessus est. Ego tamen longè majori laude digna ea censeo, quæ in ipso homine invenio, quàm hæc externa, quæ novercantis fortunæ arbitrio dispensantur. Nihil de educatione quoque commemorandum existimo, agrum enim cum sacundum esse invenio, etiam si ut cultus sit nescio, neque agricolæ laborem conspicio, ex ipso ta- men cultu fructum bene judico: cùmque nolter demortuus, Comes Illustrissimus, propriâ quàm alienâ virtute mihi voluc- rit, eum solum considero.

Quod vir ille divini ingenii Plato aliis in generatione aurû, nonnullis argentum, quibusdam verò ferrum admiscuisse scri- bit, illud est, quod Aristoteles magnum illud mundi miraculum alios naturâ dominos, alios servos esse statuerit: illi omnia recta cum ratione agunt, non facile patiuntur se à rebus inanibus, lu- dicris & frivolis abduci, norunt ex connata ingenii majestate & bonitate quid illos facere deceat, ideoq; ex omni stertore vite- que somno excitati, consecuturæ suæ conditionis memores, na- turæ defectui consulunt, ingenuisq; disciplinis se totos imbuen- dos tradunt. Hi suaviter in utramq; aurem dormientes, ubi pro- fundo excitati somno evigilaverint, nudos se corpore, nudos a- nimo, nudos mente deprehendunt. Non ex horum immanissimâ ceu fece hominum genere nostrum demortuum, Comitem Il- lustrissimum, judicetis Auditores, quem non noverca parcè, sed liberalissima mater natura largè dotaverat, cujus & illustrissima specimina ediderat: vix enim ephebis excedens, statim artium liberalium munere incommoda omnia corporis declinari, ope earum horrendam illam incitiæ Sphingem dilui, auxilio scien- tiarum infestissima vitiorum monstra prosterni sentiens, Lycæi, illustri Musarum domicilii limina ingressus est; ubi non illicitis lusi-

In Anno 1684
dolanaz Enarua agompi iram fel az foldeder haroom preder
Sep dizen enorgion lube gziupar lanon me ller vala lo pra
eh dizeb ben gonoblam hogi ha me s talabra a s llerem halni
anc me s mard az ledel

Oratio funebris.

etis iustis, sine honestis moribus, sine futurae vitae providentiâ, posthabitaque omni majorum reverentiâ [ut omnes plerique Magnatum potissimum liberi hodie incautissimè vivunt] extitit: imò verò divino percitus rore, breve post tempus, tam illustres ejus ingenii fulgebant radii, ut omnis omninò ordo, omnis ætas, omnisq; sexus super his miraretur, imò in immensum stuporis barathrum decideret. Ast nec dum cordi est illi jucundissimas Palladis fores derelinquere, imò majores studiorum suorum progressus, quibus olim dulcissimæ inserviret patriæ, ambiens, facile id se consecuturum speravit, si variorum hominum mores, & ingenia lustraret: ideoque proprio & eorum quorum inter erat consilio Teutonicas contendit invisere Academias. Eò itaque cum salvis appulisset avibus; studiorum Meccenatibus, viris vitæ inculpatae, stupendæ lectionis, & longo rerum usu absolutissimis, in specie verò in illustri Heydelbergensium Academia, grandævo illi Davidi Pareo alteri Melanchtoni, feliciter innotuit, his liberalem animi indicem, faciem, sermonis facundiam, morum elegantiam, acerrimamq; ingenii industriam probavit: toto illo tempore vitæ moderationi, studiorum stationi assiduam navavit operam. Unde tandem tam felices rerum suarum adeptus est successus, ut non modo vulgares, sed & potentissimi, invictissimique exterarum nationum Principes, ob egregiam ejus indolem, eximiasque virtutes, quibus ille jubaris meridiani instar fulgebat, omnesque suæ ætatis adolescentes superabat, maxima cum reverentia exciperent, dignisq; eum muneribus afficerent.

Ubi vero parentibus ita visum esset, ut jam tandem Patrios Lares reviseret, sanctè ut semper, ita & nunc nutui eorum morem gerit, dulcissimæq; Patriæ limina repetit; ubi oratione latino idiomate concepta, claro studiorum suorum specimine, Serenissimum illum, beatæ memoriæ Principem (cujus ego honoris ergo recordor) Gabrielem Bethlen vitâ functum, patrium suum plusquam amantissimum, summosque utriusq; regni proceres honorificè salutavit. Hinc ille propter animi eximii alacritatem, propter sapientiâ quæ præcuttebat ætatem, & propter præclaram

Oratio funebris.

præclaram indolem faustis sub penetralibus nutritam, ab omnibus amabatur, à nullis aspernabatur. Videbatur quippè id quod erat, ex aspectu quidem atque oris dignitate ; Sed multò magis ex ingenii, morumq; bonitate ac facilitate, adolescens ad Rempublicam gubernandam natus, apparebant in vultu ejus magnarum signa virtutum, in fronte majestas, in oculis modestia, in genis verecundia, in sermone benignitas. Eò ille omnem perpetuo movebat lapidem, ut de omnibus bene mereretur, idque ut efficeret, non modo modestiam subterfugit nullam, sed & ultrò omnem expetivit laborem. Unde eam consecutus est dignitatē, ut ex sapientissimo serenissimi Principis vita functi Consilio & Comes Comitatum Banffii Hunyad ac Maramaros crearetur, & munitissimæ arcis Varadinæ in summum incolarum gaudium præficeretur. At quæ hic de nostro Demortuo dicenda essent, tot & tanta sunt, ut cum spe enumerandi, numerandi quoque cupiditatem, & cum facultate amplificandi, omnem penitus auferant attingendi voluntatem. Toto illo tempore, quo huic arcis præfuit, non inflavit illi animum potentia, non extulit honor, non dolosi abstulit spes nummi, non æstus opum & copiarum absorbuit, his namq; omnibus ita utebatur, ut eæ non superbiæ aut avaritiæ, sed benignitati ac liberalitati facultatem & materiam dedisse viderentur. Non ignorabat Comes ingentis animi ideò potestatem in homines hominibus à Deo tributam, ut iis quibus præfuit, profint. Ideoque quibus præficiebatur populis, omnia ad eorum salutem & conservationem conferebat ; sciebat enim quod quemadmodum navis gubernatori cursus secundus, Medico egroti salus, Imperatori Victoria, sic optimo Reipubl. Moderatori beata Civium vita esset proposita, repetebat frequenter illud, quod per Virum sanctissimum cæli terreque Moderator effatus est : Diligite justiciam, qui iudicatis terram, divinoque illi præcepto diligenter obtemperabat, suū cuiq; tribuebat, nihil unquā cuiq; demebat, superbos spiritus reprimebat; metuentibus, ne Supplicatio nihil haberet ponderis, præ loquentium humilitate sua facilitate animos dabat, eorumq; causam primo quoque tempore componebat, tanta ser-

monis

+ Vajda Hunyad, non Banffii Hunyad

Oratio funebris.

monis dulcedine petentibus & afflictis respondebat, ut nemo unquam sine admiratione summa vel videre vel audire potuerit. Didicerat illud, quod illustrium personarum est proprium, ut neminem sive beneficia conferendo, sive rogata prorogando mœstum à sua facie dimitteret. Gratulabatur sibi si viros industrios, doctos, pios ad aliquam dignitatem promovere, si sua intercessione ad majores honores provehere, si novis beneficiis amplificare & ornare posset. Lætabatur si egenis & pauperibus catervatim ad aulam ejus confluentibus elemosynam expendere posset. Non ejus thesauri domi inutiliter habebantur, sed egenis & afflictis largè exhibebantur. Malebat enim multorum parens dici egentium, quam pecuniosus haberi; sciebat in occulto divitias squalere & quodammodo infici, nisi ad multorum subsidia in lucem & splendorem proferantur.

Sed missa hæc facio, in quibus tamen mirificè se mea jactare posset oratio ravior ad singularem illam virtutem humilitatē, ad quam jamdudum & vestra me vocat expectatio. Humilitate ut nihil homini debet esse prius, ita nihil vel dici vel fingi ea potest præstantius, unde plus maneat utilitatis, plus ad vitam emergat commodi, plus ad salutem existat emolumentum: hæc enim sola ut infinita taceam, hominem potissimum Christianum exornat: Hæc Deo bonisque omnibus mirificè commendat: quod dum probè teneret Comes Illustriss. summa semper vi, ut seipsum humilitate vinceret, contendit: & quanquam naturâ cuique insitum esset, ut ad magna aspires, ille tamen qua in re alii dignitatem, deformitatem sitam esse putabat. Quod alii valere ad laudem & gloriam existimabant; Ille in eo dedecus constituebat. Nunquam efferebat se in rebus secundis, ut ab improba cupiditate omni erat remotissimus, ita ab ambitione, à gloriosa ostentatione erat alienissimus. Laudent sanè sacræ pagellæ Ochoziam Ducem quinquagenarium, qui suâ humilitate quinquaginta suorum militum animas servavit. Nos nostrum Comitem, cui parem humilitatis impetum minime præreptum volumus. Laudent Historici Porum Regem illum potentissimum, qui dum fortunæ novercantis inconstantiam, humanarumq; re-

William's inq. re. m. m. Costa Columbia Costa

Oratio funebris.

rum fragilitatem perpenderet, ita se humiliavit, ut nunquam se deinceps Regem vocari passus sit. Nos nostrum Demortuum ista laude illi non inferiorem. Laudet denique Justinus Cassandrum, qui licet ab omnibus Rex salutaretur ejus tamen dignitatis titulum sibi vendicare noluit. Nos pientissimum nostrum Comitem multis hunc parangis superantem. O animam humilitatis studiosissimam superbiæ & ambitionis omnis inimicam! Videtis Aud. Magnates & summos Regni Proceres incestu insolenti, fastuoso aliorum contemptu à vulgaribus distinguunt, hunc verò modestiâ & humilitate singulari à suis subditis discerni.

Sed ne hic brevitatis promissæ cancellos transilire videar, venio nunc ad fontem illum, & caput præstantissimæ pietatis quam semper Comes Illustrissimus moderatricem omnium dictorum factorum & consiliorum suorum habuit, cui se totum dedit, quam tanto studio, tanta diligentia, assiduitate, animi attentione, labore & vigilantia coluit, ut propemodum ejus amoris quodam ardore se ipsum vicerit, quemadmodum ab hac una pietate universa vincuntur virtutum genera. Noverat namque Comes Illustrissimus pietatem, cujus lumen atq; origo demanavit è Cælo matrem esse officiorum, ac magistram vitæ, sine qua rectè facta (si quid tamen sine ea fit rectè) & exarescere sibi, & perfectæ laudis luce carere. Hæc autem sic eluxit in nostro Comite, ut, si licet, quod sæpè est usurpatum Principibus viris imponere nomina à virtutibus in quibus excellunt, ab ea quâ una omnes complexæ sunt, multò justius ac verius quam Metellus, Antonius, Boleslaus, Ludovicus, & si qui hoc sibi nomen adscivere alii, Pius dicendus esse videatur. Multi quidè à rerum gerendarum usu & cognitione Sapientes, à gestarum præstantia Magni, à prospero earum exitu eventumq; Felices vocati sunt; sed Sapientes illi dissimulavere, Magni non agnovere, Felices: contempsere pietatem, quanto igitur major debetur laus nostro Comiti, qui cum ad res omnes suas adhiberet pietatem parentem illam, ac nutricem laudatarum actionum, & sapientes gravitate, & magnos ratione, & felices animi moderatione superavit.

Oratio funebris.

Pace & concordiam plurimum delectabatur, belli nutrice
eroris sitibundam discordiam toto animo detestabatur, dissi-
dentium causas ex æquo & bono sapienter componebat, ani-
mos perfidiam sceleratorum divullos suam pietate & autoritate
in pacem & concordiam facile reducebat: Nec res ei ulla tam
grata tamque jucunda accidere poterat, quam videre eorum a-
nimos, quos simulas quædam distraxerat, consentientes. Scie-
bat enim vir Illustris pacem esse non tantum, fontem & scatu-
riginem omnis boni, sed & custodem & firmamentum omnis
humane felicitatis, ut sine qua nihil in vita jucundum, nihil for-
tunatum, nihil firmum esse possit. Pacis namque tempore non
secus ac si novum quoddam ver rebus humanis adfulserit, co-
luntur agri, vernant horti, pascuntur lætæ pecudes, ædificantur
ville, extruuntur oppida, instaurantur collapsa, augentur extru-
ta, vigent bonæ leges, excoluntur honesti mores, tractantur u-
tiles artes. Noverat Illustriss. Comes ex adverso Martis sævitia
grassante religionem conculcari, amicos jugulari, facultates ra-
pi, lætum & pulchrum obrui, extinguï, aboleri, animumque ma-
lorum Lernam ceu quandam in vitam piorum effundi, ideoque
quibuscunque modis poterat bellorum motus præcavebat, ho-
stes sine ferro, maxima cum sapientia fugabat, nec nisi extremam
urgente necessitate, quod si malorum improbitas vitari secus
non posset, arma capesserebat, quibus obfirmato & infracto ani-
mo, robore & viribus vallidissimis Herculis instar hostes ma-
lefidos debellavit, à finibus suis profligavit, eosque Panopliam
omni exuit. Meminit sine dum horrendissimum illud, & infen-
sissimum Antichristi filii perditionis agmen retroactis tempo-
ribus miseriam, debilitatam & omnibus viribus enervatam
nostram Patriam solo æquare, cultum divinum conculcare omni-
molimine contenderet & Tybiscum ad id perficiendum traji-
ceret, quam sapientissimè adversus hos perduelles & fidei de-
sertores bellum gesserit, quanta cum audacia dum acerrimè fu-
so utrinque sanguine res ageretur, interfuerit & pugnantibus
tanquam geminus ille navigantibus salutaris fulgor illuxerit,
hostes omnes fugaverit & victoria potitus summum omni æta-

2

Oratio funebris.

e +

ti, sexui & ordini gaudium intulerit, labentemque religionem
erexerit. En Heroem ob rerum sapientiam & bellicam virtu-
tem spartâ dignissimum, Comitem felicissimum, qui suis bel-
licis congressibus nil nisi pacem amabilem quæsit? En Ducem
fortissimum ob illustria rerum suarum specimina dignè im-
mortalem? En fulgentissimum humilitatis, iustitiæ, pietatis, be-
nignitatis, liberalitatis omnisque virtutis speculum.

Ast Aud. Illustrissimi Spectatissimi, summam tantum hæc
ego percurro, nihil ut videtis amplifico, cum Vos mihi non sit
ultra tempus detinendi constitutum: ad illam unicam autem,
quam in morbis & morte Deo probavit virtutem festino. Visita-
tus ex sapientissimo Domini Dei consilio morbis & dolori-
bus gravissimis & atrocissimis divexatus est mortis hos Prodro-
mos agnoscebat. At in singulis tantum virtutum illam Matrem
& Nutricem Patientiam ostendebat, adventantes morbos præ-
sentiscens Placide excipiebat, forti animo sustinebat, imò vitæ
authori Deo summas gratias agebat, nec minimam animi fre-
mentis indignationem præ se ferebat. Ubi verò morbus omnem
Medicorum fallens industriam, ita vires Comitis Illustriss. at-
trivisset, ut ei inevitabilem attulerit ex hac vita migrandi neces-
sitate, terra siquidem hæc unicuique mortalium non pro
domicilio, sed pro diversorio, præsens eonditio non ut vera vita,
sed tantum ut iter ad vitam data est nostrumque in cælo non in
terris existit πολιτευμα: adveniente itaq; divinæ vocationis ho-
ra piis precibus illustrissimus Comes se suamque animam Deo
commendavit & paulo ante ultimum agonē Jesu Salvatoris no-
men sæpius ingeminans tandem placidè inter sanctissima suspi-
ria Steph. Bethlen Junior de Iktar, Comes pius, humilis, cle-
mens, beneficus, justus, illustreque omnis virtutis exemplar ex-
spiravit. O lucem illam, tibi quidem beatissime Comes bea-
tissimam, qua animula tua Deo præpotenti chara placidissimè
ex hacce miseriarum calle ac valle, in æternam cælestis vitæ
consuetudinem migravit! At nobis acerbissimã quos in ancipiti
ærumnarum fortuna, ubi undique mille nos circumstant peri-
cula, miseros relinquis. O horam illam, tibi quidem optatissi-
mam,

Steph. Bethlen Junior de Iktar
Comes pius, humilis, clemens,
beneficus, justus, illustreque
omnis virtutis exemplar
expiravit.

Oratio funebris
de Iktar
Comes pius, humilis, clemens,
beneficus, justus, illustreque
omnis virtutis exemplar
expiravit.

Oratio funebris.

mam, quâ omnibus hujus vite miseriis & calamitatibus exan-
thlatis mundi immundi vanitates insolentes ex alto ridere con-
tigit!. At nobis quibus ob spem conceptam tantum tui deside-
rium reliquisti, ut non lugeamus modò sed & dolore miserè
conficiamur, summopere dolendam! O durissima & sævissima
fatorum decreta! O nos miseros & infelices quibus nostra bo-
na adedò invidetis. ut quem emolumento nobis futurum videtis,
ad eum irrumpatis, in eum vires vestras experiemini & è me-
dio auferatis! Cur nostris damnis vos ditescere posse speratis?
Cur nobis lacrymas & dolores cumulatis? Sed quid fata fati-
gamus? Cur ea incusamus? Fletu nihil proficimus: revocemus
gradum, ne eum, qui vitam dedit, qui abstulit offendamus & æ-
ternam felicitatem quâ Comes Illustriss. fruitur, hoc nostro
intempestivo luctu invidere videamur. Neque æquum est ut ni-
mium ob suum ex hujus mundi colluvione discessum animi
perturbationi, lacrymisque indulgeamus, cum egram ejus vitam
jam mors præclara terminarit vera vita exceperit: Cum sit in
isto divorum concilio, ubi nullum in animo tædium, nullus in
corpore labor, ubi ab omni cura vacuus, ubi perturbationum
expers, ubi denique ab omni molestia remotissimus existit. Ne-
que verò, cum rectè rem considero, cujusquam nobis deflen-
da mors est. Nam si quis seya in mari existenti tempestare mul-
tis simul solventibus, quam, celerrimè omni ventorum vi, omni
Pelagi impetu superato, in portum, quo cursum suum dirige-
bat, provehatur: Nonne is quam felicissimè iter suum confe-
cisse dicendus; reliqui qui diutius commoventur, eo infeliciores
existimandi sunt? Simile ego quiddam in hac miserrima vita no-
stra video, quæ nihil aliud est quam procelloso in mari naviga-
tio, egritudines, mollicia, calamitates, adversa alia, vite
præsentis tempestates dici poterunt. Portus ipse, quo cursus o-
mnis dirigendus, mors est. Cur igitur, qui in hunc portum ex
his fluctibus celerrimè navigavit, non eò felicior haberi debeat,
quò citius tot malis ereptus in tranquillo constiterit. Missas
nunc faciamus Philosophorum illā naturæ incusationē, & vite
brevitatis Medicorum exclamationē, satis cuiq; vita longa data
est,

Sensimus nos
illud quod in hunc portum a bonorum
repperit

Nullius in partem
Sensimus nos
Sensimus nos
Sensimus nos
Sensimus nos

Coma Trovata / ... / ...

Oratio funebris.

est, si ea bene collocetur; sin verò luxu quis diffluere patiatur
is vitam brevem non accepit, sed fecit, non ejus inops, sed pro-
digus factus est, Satis huic quoque nostro demortuo Comiti
Illustriss. ea siquidem uti novit, vita longa extitit: Temperemus
itaq; nobis à lacrymis, mitigemus dolorē & in Dei præpotentis
acquiescamus voluntate, graves licet & justas luctus & fletus
habemus causas hoc Comite è vivis sublato: Meminerimus ta-
men & peccatis nostris nos hunc squalorem esse promeritos, &
nihil absque sapiente Dei omnipotentis factum esse consilio.
Precemur potius supplices Deum Opt. Max. ut hisce ultimis
mundi in pejus ruentis temporibus ipse nos clementer respiciat
Rerumpublicarum Ecclesiarum paternam curam agat, nostri-
que Demortui Comitis Illustrissimi manes intra domicilium
æternæ beatitudinis acceptos, in Elysiæ cœlesti, cœtui beatorum
conjunctos, sempiterno çvo perfrui patiatur. Amen.

DIXI.

Defunctus loquitur.

Militiam gessi geminam cum viverem in Orbe
Terrarum; moriens præmia larga tuli:
Obstitit ense manus Patriæ hosti fortiter; at mens
Satanae, mundi, carnis abegit acus:
Pro illa sole sub excisa est (puto) laus mea nondum;
Hanc ob cœlesti prosperitate fruor.

ANDREAS EÔSZ HUSZTI,

S. S. Theol. Stud. appoluit.

ALIVD.

*Militiam gessi geminam cum in verem in orbe:
Terrarum moriens præmia larga tuli*

*Spullens inveniend 305 La Chumbas ...
Londinek ...
Terraq potent
et mavis
Terraq potent
et mavis
Terraq potent
et mavis*



A L I V D

SÆpè suis rebus respondent nomina: nunc di C,
Respondet rebus clara Corona suis.
Tot Stephanus Patrie discrimina Marte uel atr O,
Arte valens mirâ tollere nam poterat.
Enthea mens igitur claro diademate fertur R
Fit Stephanus Bethlen digna corona Patris.
Principibus gratus, clarus pietate, benign O
Vultu quique suo Iosua mitis erat.
Heros Magnanimus quid multis; gloria nec no N
Hunniacæ gentis firma columna sue.
At forti subito pressit pede mors inimic A,
Et jam Bethlenidum magna corona jacet!
Nunc Stephano potior succedet cœlica, quæ vè es T
Æterna, in cœlis parta corona Iovæ.
Ultima quam non Mors, Satanas non horridus ast U,
Tollet. Sic virtus premia larga dabit.
Sint igitur tumulo tua membra sepulta; tamen Men S
Nunc tenet Æterni clara Spæciæ poli.

Franciscus A. Rivulinus,
S. S. Th. Stud.



Colomba vocat Sinkink Nany
Epicedion aliud. inquit

Terrigeni variis populi virtutibus undant
 Quas inter media Gratia classe jacet.
 Adde: quod, ex isto nascentis limine mundi,
 Gratia, grati animi, nomine clara fuit.
 Hanc certe Numen nullo non tempore vivens
 Summo à mortali semine jure petit.
 Hoc dignas pacto persolves numine grates
 Pignoraque insigni funere digna facis.
 Scilicet hac revocas nomen ratione sepulti,
 Quod jam Tartareis pene subivit aquis.
 Non subeunt animis meritorum præmia nostris,
 Quæ quondam nobis dura per arma tulit.
 Non semel in media versantes lite pericli
 Eripuit fuso sanguine pene suo.
 Eheu quam rapido currit lux flumine facti,
 Gratia tentati parva laboris & est!
 Nos juvat, & vultu ridet fortuna secundo,
 Lethæis facta hinc mersa teguntur aquis.
 Non ita sublato Danaûm gens Hectore fuit,
 Tristi sed casum pectore quippe tulit.
 Est mortale genus natura valde malignans,
 Dum parcit velis aura secunda suis.
 Non nunc versat onus, non turgida fluctuat unda
 Omnia sed requies, tuta fidesque tenet.
 Gratia jam levis est facti post ultima fata,
 Sed vereor duro tempore grata foret.
 Sufficiens toto meritum nunquam addimus a vo
 Nobis pro meritis officiisque datis.
 Hic erat Æneæ quondam virtutis Alumnus,
 Insimul ac vera simplicitate vigens.
 Ecquid ego tento laudes modularier omnes?
 (Quippe cui similem Dacica terra dabit.)
 Id series præstat Lectori emensa laboris,
 Vivat virtus post funera, fata volunt.

A MICHAELE B. VVASERHELY,
S.S.Th.Stud.

*Militiam gessi geminam cum puerum in orbis
 Terrarum moriens prodia larva Jul
 Militiam gessi geminam cum puerum in orbis
 Terrarum moriens prodia larva Jul*

*Ad Turpes Chiebet, Lepidus hoxus
 Post Swamburg
 amant*



*Vel graculo cum fribus
 Nam illot agitur hinc hinc*

*Colomba vocat Sinkink Nany
 Epicedion aliud. inquit*